

Vg
5300



189.

CARMEN



DE

B. MARTINO
LUTHERO,

factum & publicè recitatum

In illustri Academia VVitebergensi

Anno CHRISTI MD. DC.

xvii. Febr.



à

IOHANNE BLAVFELDERO

Feuchtuvangense Fr.



WITEBERGÆ,

Prælo Meifsneriano.





V I R O

INTEGERRIMO AC
PRVDENTISSIMO Dn. BALTHA-
SARO STRASSIO, Præfecto Sacrifontani
Monasterij, fautori ac Patrono suo
multùm colendo,

*gratitudinis ergò hanc
Parentationem Doct.
Mar. Luthero factam,*

offert consecratq̃.

Iohan. Blaufelderus.



EMILIO
MICHAELE

Magnanimi memorare iuvat benefacta LUTHERI.
Queritis, hic animo spiritus unde meo?
Non mihi iam pectus vesana audacia carpit:
Nec timidus duro cessit ab ore pudor:

Nec mihi iam soli cymbam fabricavit Apollo,
Currere quæ vasto sciret in Oceano.
Ingenium multis par est, diversa voluntas.
Sic ego quod volui, vos potuisse reor.
Arma crepant alij vibrantq; Cupidinis arcus
At mea. LUTHERVM Calliopæa sonat.

Minkwitzij fratres, soboles Generosa Baronum:
Clara Professorum lumina: docta cohors:
Quod mihi deest animi, vos compensare favore.
Ingenium facit hic, perdit hic ingenium.
Est equidem labor hic, Musis & Apolline solum
Dignus mortalis nil agit hic Genius.
Nil agit hic longè-maioris spiritus oris.
Nedum ego quid possim spiritus iste levis.
Attamen ipse pios adiutat Iova labores;
Et modicis semper viribus addit opem.
Quid, quod trita prius sector vestigia? multum
Quæ teritur, multo planior ista via est.
Namq; ex quo fatis Papæ concesserat horror,
Non intermisso semita fulta pede est.
Annua promeritas semper Concordia laudes
Audiit: audiuit hic locus, & doluit.

Nempe nec ad pluvias celum quoq; sufficit undas,
Suppetias pelagi ni ferat arcus aquas.
Sic venam natura meam exsiccavit. at isthæc
Si bibat ex alio gurgite, fortè fluat.

Eximia vatum cura multò antè pararunt,
Vnde licet plenà sumere cuiq; manu.
Materiæ satis est. Si structor idoneus esset,
Iam quoq; pyramidum vilior esset honos.
At non exiguo refert discrimine, Phæbus
Si cornu, vel si Marsyas ingeminet.
Quin etiam in cytharâ ratio est. nec scilicet omnis
Excitat aut risus barbitos, aut lacrumas.
Orpheus cum caneret, stupuit genus omne ferarum:
Alterius chordam fortè nec audierint.
Innuït, & lepores sistunt se ad prandia Lappo:
In mea sic nunquam venerit ora lepus.
Thrax si quando canit vates, mox fagus & Orni
Umbram apricanti sponte sua referunt:
At mihi si radijs Phæbus caput ufferit, ultrò
Aeternum capiti non venit umbra meo.
Sed benè habet. Nec ego duras mollire laboro
Quercus; immites nec cicurare feras.
Vos ego, vos quibus & virtus decus auxit, & artes
Ingenium dederunt mitius ingenue:
Vos ego Patris ad exsequias accire **LVTHERI**
Flebilis enitor carminis obsequio.
Si non ulla mei vos tangat gratia, tangat
Vos umbra in terris gratia si qua piæ est.
Si qua manet factis usquam reverentia tantis:
Si nondum vacuis exciderunt animis,
Huc agite, & benefacta viri memorabimus unâ.
Hoc ipso pulvis sentiat in tumulto:
Sentiat, & memori recreatus nomine dicat:
Hoc demùm benè fit, si memori beneficit.
O si tanta mihi præcordia fata dedissent,
Vt possem versu surgere Mæonio:

Hee

Hæc ego non tererem tam vili compita focco,
Sed mihi Pindarico surgeret ore sonus.
At desunt vires, humerisq; onus incubat impar:
Sive quid ingenij est frangit id omne dolor.
Namq; mihi mæstis oritur iam fletibus horror,
Iam propè mi lacrumæ mæsta per ora fluunt.
Est animus duris contundere pectora palmis,
Ut subiit tanti funeris hora viri.
Vestra etiam adspicio suspiria: vos ego cerno
Deiectis terram cernere luminibus.
Nempe nec aternum forma est, nec vita perennis:
Vtraq; presenti pallet ab interitu.
Hæc eadem magnum mansit fortuna LVTHERVM,
Fama tamen nobis & benefacta vigent.
Horum ego dum memoro tenuato paucula versu
Temporis usuram deprecor exiguam
A vobis, vacuasq; aures animosq; benignos.
Haud faciet longas nostra elegeia moras.
Divitis extremas unda libabimus oras:
Nec bibet ex omni gurgite nostra sitis.
Annuitisne? Benè est. Et tu CHRISTE annue, salva est,
Remigio currit si qua carina tuo.

Nondum centeni deducitur orbita Phæbi,
Omnia cum cæcis plena forent tenebris.
Omnia cum Phariâ caligine nigrescebant.
Non locus unus egens luminis, orbis erat.
Nemo erat errantum moderans vestigia, nemo.
Cæcus Tiresia dux erat ipse magis.
Hinc desiderij quò queng; cupido ferebat,
Exsequitur subitis pacta libidinibus.

A 3 Vnum

Vnum numne Olympus habet. Verum auspice Papâ,
Ter sexcentorum iam sedet ordo Deum.
Sancta Maria, Sabina, Veronica, Sancta q̄ Clara,
Sancta Brigitta, Agnes, Ursula, Sancta Agatha.
Sanctus Franciscus; sanctus Quido, sanctus Alexis.
Sanctus Remigius, sanctus Anastasius,
Et qui non? Numerumq̄ Deum numerumq̄ Dearum
Archimedes ineat, non ego. Et ipse nequit.
Imo Sacramento ausim contendere tecum,
Clericus ipse suos nesciit ordo Deos.
Cepe reformidat, porrumq̄ infringere morsu
Aegyptus: pisces arcet ab ore Syrus.
Non equidem Ausonios tenet hæc dementia sensus;
Dispoliant pisces carnibus, ossa colunt.
Scilicet hoc sapere est. Timido nec Roma palato
Respuit expertum quod sapit ad Stomachum.
De grege nec quivis isto omnes evomit offas.
Haud est de nihilo venter obesus, edit.
Hoc verò exsuperat portenta Aegyptia, quando
De quovis ligno finxit, & osse Deum.
Numina tum exiguo stabant vel mille sacello.
Sed pars de numero maxima pauper erat;
Non par antiquis: sed vel Iovis aut Neptuni,
Ut puto vasalli, queis sacra Roma tulit.
Putria quin umbris in vitis ossa ruebant,
At Papa ex quovis murmurat osse Deum.
Hic facili nisu celestia regna parantur.
Oret Pontificem qui volet esse DEVS.
Oret qui Gallo, qui regno flagrat Ibero;
Pontificis nutu quod petit, omne feret.
Reddet adoranti. Et celum Romana potestas
Et terras omnes transiit & maria.

Quod

Quod libet, hoc licet. Immeritos detrudat ad Orcum,
Nemo grave hoc ausit dicere flagitium.
Casaris & cervix olim pede pressa nefando.
Demet nulla dies hanc tibi, Papa, notam.
Heinrici casus Patris, & bella impia nati
Hinc sunt, cognatas vertit in arma manus.
Intulit & vasto mala late incendia mundo,
Se Christi exemplum sic ratus esse bonum.
Vidistis lupum, ut in viduo grassetur ovili?
Papa lupus mundi, mundus ovile fuit.
Huic tu quidquid habes ubicunq;, immitte barathrum,
Non erit alta sitis, non saturata fames.
Cernimus & pelago fluvias illabier undas:
Sed tamen illapsas reddit aquas pelagus.
Pontifici dederis rabioso extorseris offam
Fuste cani, nunquam si Papa nactus erit.
Nec via querendi una est illi, aut una lucranda.
Pauperis est merces dicere posse suas.
Laurent I cineres, Diva de lacte Maria
Cymbion, Ausonia quod reor esse Lupa:
Iosephi caliga, Sancti femoralia Franci;
Et quos maesta oculos depluit Otilia.
Ossa trium Regum adventantum è rure Sabao.
Et de ture super forsitan est aliquid.
Pluraq; quæ Roma magni venduntur, emuntur.
Isthic & celum prostat & ipse Deus.
Nec nisi divitibus celi reserata patebat
Porta: Fides aditum non faciebat inops:
Sed nummata fides. Lacrumas quis siccet amaras
Sub duro fudit quas pia turma iugo?
Nec tantum illa auri quæsta est dispendia, quantum
Ereptam verà cum pietate fidem.

Omnes

Omnes humanos tolerat pia turba dolores,
Solius interitum ferre nequit Fidei.
Hæc caligo igitur latè obfuscaverat orbem
Suppetias miseris cum parat ire DEVS.
Flamma Palestinis ut Simson nascitur arvis:
Sic natus Latio est flamma LUTHERVS agro.
O fortunatam quæ te lux edidit! Istâ
Letius assveto sol agitavit equos.
Istâ diffuso riserunt lumine cæli:
Insolitum Tellus sensit & unda pathos.
Istâ Barbaries fractis cervicibus ivit,
Relligioq; situ sustulit alba caput:
Sustulit & longis exempta doloribus, inquit:
Nascere care puer, nascere magne puer.
Per te intermissos reparabit terra triumphos
Teutonis, antè armis, nunc pietate potens.
Per te notescet genitalis fama nitoris,
Et servata diu mente tenace fides.
Per te depositâ Faciem rubigine, & ora
Pristina componet rursus uterq; canon.
Glossa diu valuit, iam te nascente labascit.
Istius ingulum iam tuus ensis avet.
Quamvis nec patriâ, nec sanguine clarus avito,
Nec tibi Saxonibus stet seges alta iugis:
At virtus animi, at multis decus artibus ingens,
Quiq; intus fibras entheus urget amor.
Hic dabit effectum. Victores patria currus
Exorna. Haud procul hunc auguror esse diem.
Dixit. At augurio vicinia tacta gemiscit:
Ante rogos nostros luceat ista dies!
At verò ipsa virum mox incunabula monstrant.
Nam puer iste, viro vix facienda facit.

Ex-

Exsuperant canos primæ lanuginis anni.
Si iuuenis facit hæc, quanta senex faciet?
Præcipites sed enim ex alto deturbat Egestas,
Dives ubi virtus stare diu potuit.
Hæc eadem intrusit Monachorum in claustra **LVTHERVM.**
Sed faustâ introiit claustra **LVTHERVS** ave.
Non ille assiduo mentem vincire Lyæo;
Nec decies una cymbam onerare die:
Non solitus binas, ut mos, blaterare corollas,
Quàm prius ædituus ter cava sinistra crepet.
Nec diuûm horrendo complevit templa boatu,
Ceu cum Sileni fuste movetur equus.
Illo non penè placantur sacra numina cantu,
Cùm melius vel epops bubulet ipse melos.
Ac frustra vacuas clamor vanescit in auras,
Cùm mens ignorat lata quid ora velint.
Hanna preces nullo clamore interprete fudit:
Post menses mater fit tamen illa decem.
Quò magis infractum latus, hoc animosius instat
Mens, magis hoc imo pectore verba petit.
Sic prece sic psalmo sacra fecit stata **LVTHERVS.**
Intonuit diros nec sine mente sonos.
Ergò ipsi quas non poterat monstrare cucullus,
Area detonsis nec viduata comis,
Puras solus aquas puro de fonte **LVTHERVS**
Hausit: de vili cætera turba lacu.
Nec verò fermenta Thoma, aut tormenta cerebri,
Nescit. Cunarum sed fuit iste labor.
Solvere nec rudis argutos, aut nectere nodos,
Si quid & ulterius docta Lycea docent.
Verùm hæc in multos comunia tela, **LVTHERVS**
Biblia Sacra uni vendicat arma sibi.

B

Rara

Rara fides facto Dux cum grege devius errat,
Amisſas ſed ovis repperit una vias.
Nec magis immundis latet abdita fama tenebris:
Evolat & terras transvolat & maria.
Saxonicos late campos, vinetaq; Francum
Traiicit, Alpinas mox aditura nives.
Imminet & Latio: Latiumq; perhorruit. Ohe
Hac tibi pallori ſat ſcio Roma fuit.
Verum Leucorei modo nata ad pulpita ludæ
Natus erat, fatum ſic voluente Deo.
Fortunata dies, felicibus acta quadrigis,
Qua novus hac hospes fixit in urbe pedem.
Hac, **VVITEBERGA**, à te ſolennia gaudia poſcit.
Hac non nata quidem luce, renata ſed es.
Hac erexerunt gemine ſua culmina turres:
Hac & ſaxa novas ſunt meditata domos.
Et ſalices lenta ceſſere à margine ripæ.
Si qua fides patribus, iam **VVITEBERGA** nova eſt
Hac cum diſcuſſis rueret pater Albiſ habenis,
Huius ad acceſſum mox requievit aquas.
Ac iam, Tiberis, ait conſtantes deiſce faſtus.
Non ego te poſthac nomen habere ſinam.
Nec minus ex omni quæ iam confluxerat ora,
Lætata eſt operæ turba operata piæ.
Haud enim erat ſtolidis ſimilis collatus agyrtis,
Qui nucleo abiecto turpe putamen edunt.
Iam tum, Roma, tue viſe ſordeſcere nuge,
Et cum decreris fœtida bulla ſuis,
Hic recto ſolum divina oracula fluebant
Tramite: quâ templum, quâ ſchola, glosſa ſilet.
Vnica in hereticos hæc increpat arma **LVTHERVS**,
His tundit rigidos, erigit his miſeros.

His

His ignita docet eludere tela Satanae,
Atq; his iam muris unicus Hector erat.
Ecce autem subito tetrū INDVLGENTIA monstrum
Germanam latè depopulatur humum.
Hanc erat infauſto partu olim enixa IOHANNES
(Si mentita marem fœmina, mas peperit.)
Ac velut Oeneos aprum Latois in agros,
Vesta suum emisit sic Latialis aprum.
Ira tamen minus eſt contempta ſœua Diana,
Quam cruor humanus, quam ſatiavit olus:
Aurum aurum ingeminat; ſaſtidit farra Papa ſus.
Aut ſonus auratus mitigat, aut anima.
His latè timidum vaſtârat ſtragibus orbem.
Saxonia reſtat ſola metenda ſeges.
Quis patriâ arcebit peſtem? Non tangit Atridas
iſte dolor ſolos, Græcia tota dolet.
Sed timor Atridas, fortem timor urget Achillem:
Plebsq; nihil populi quod tueatur habet.
At vaſtator aper Meleagri cuspide fixus.
An Latius nullum ſus Meleagron habet?
Imo habuit. Calarnus tuus, ô diuine LVTHERE,
Increpuit: monſtrum ſuſtulit una theſis.
Corruit horribili fremitu, dat lapſa fragorem
Ceu Iouis irati fulmine tacta domus.
Illo Romani tremuere palatia luſtri:
Et Tibris attonitas mox revocavit aquas.
Quaſſatumq; ictu triplex diadema febrili.
(Papa paroxyſmus vertice ab iſte tuo eſt)
Hic fragor & cleri ventres tremefecit obefos
Et Monachorum amplos movit aqualiculos.
At pœana canit victrix Germania, quanquam
Eſt etiam iſta cui palma ſit invidia.

Quid tum? Dignus homo funem qui torqueat Ocno,
Qui negat exempto liber abire iugo.
Nulla inimicitia, quam Relligionis acerba
Sunt adeo: vitæ lenior hostis erit.
Haud mora, Papicola cito confluxere frequentes,
Quæq; novi rogitant sit medicina mali.
Haud animos tentat dolor unus, at omnibus unus
Est animus cædem cæde piare novâ.
Hunc ampli exstimulat reditus clementia: at illum
Cui iam iam metuit multus acerbat honor.
Pars Monachi putat esse sequi vestigia turpe.
Si Papa cepisset, pulcrius esset itum:
Sed Venus & venter gravius per frena ligantur.
His Romæ nimium libera facta via est.
Tunc indignatus factum pater ipse patratu,
Tales irato fudit ab ore minas:
Heccine quenquam ausum, nec numina nostra vereri?
Nunquam impune feret, si mihi Numen inest.
Mene cui totus famulatur subditus orbis,
Infandi Monachi iussa nefanda, sequi?
Non ita. Me Reges, me Dux, me Cæsar adorat,
Convolvit celos ad mea iussa Deus.
Per diadema triplex, Petriq; sedilia iuro:
Hoc impune nefas non sinet ulla dies.
Per iugulumq; meum, per hæc mea viscera, dives
Occidit infanda cuspide promus opum.
Iovane primævi morsus punivit Adami,
At mea non maius vindicet ira malum?
Non, non nostra sinant hæc numina. Vos modo vestro
Papicole pape currite in auxilium.
Primas o primas tectis defendite flammæ.
Hæc est arsuræ parva favilla domus.

Vno

Vno si mutare nequit præcordia verbo,
Sanguis eat, fuso sanguine mitis erit.
Numen adhuc valet hoc. Dextra arripe fulmen in hostem.
Intereat qui me non putat esse Deum.
Dixit, & ad verbum, fulmen manus increpat ingens,
Quid tremitis? Brutus fulminat ira minas.
Tum verò trepidare pater, dum terror & horror
Orbi quod fuerat fulmen, inane fremit.
Nunc demum immeritos corumpit dentibus ungues,
Et magnum ex tenui cuspide vulnus alit.
Est animus celo socia arma adsciscere. Papa,
Non super in celo est ius tibi, vendideras.
Nunc subit ex ipsa socios Acheronte ciere.
Verum hæc extremæ deputat arma fuga.
Spes superest ferri. gladios inspiciat Iberos,
Inspiciat Latios. (Hi tamen antè secant)
Quid tibi cum tali demens est cuspide? Non hinc,
Non statues sella, Papa, trophæa tuæ.
Est urbs Vangionum riguis VVormatia campis
Clara, decus Rheni nobile, dives opum,
Huc manus Heroum, Diuo cum Casare, & ingens
Confluit Ausonij turma satellitij.
Certum est aut modò succensam restingvere flammã:
Aut pertendenti frangere colla viro.
Quid tibi quid tum animi fuit, ô divine sacerdos,
Quando impendebant tot caput arma tuum?
Solus eras & pauper eras. Non era crumenam,
Factio non causam sublevat æqua tuam.
Armatis certas tot mille, vir unus inermis.
Cede miser: tecum iam tua palma iacet.
Scilicet æratis si pugnatum foret armis,
Qualia Lutherus cuderat antè Pater.

Aetum esset, sed longè aliis radiabat in armis,
Quae poterant Stygiis mentibus esse metus.
Balteus insignis veri subtegmine: pectus
Iustitia Christi gemmeus ornat honos.
Buccinaq; aeternam promptissima flare quietem.
Vna Salus, galea est: una Fides, clypeus.
Aet effata Dei latus acer ut ensis inarmant.
Illa preces possunt stringere, dextra nequit.
His ergò munitus it hostem cominus armis
Arduus & tali classica voce canit:
Iova Deus, fervent unde, furit Orbis & Orcus,
Quisq; suo ventri fert sacra, nemo tibi.
Hos si contra aciem tulero, iam scilicet aetum est.
Herent iam collo vincula nexa meo.
At mea stat subnixa tuâ fiducia dextrâ:
Quam si dura mihi subtrahet ira, cadam.
Sed neq; fex Erebi, neq; subtrahet ipse Satanas,
Da modo consilium, fer Deus auxilium.
Causa tua est, non causa mea est. nisi robore fulcis
Ipse tuo, Boreâ iam tremefacta labat.
Tu mea caelesti tetigisti pectora flammâ
Tu me hoc iussisti ducere vela salo
Remigiis it cymba tuis, tu dirige nantem:
Tu Pelagi fluctus frange minasq; Noti.
Hoc ubi contigerit: populorum cuncta potestas
Insurgat; Domino remige tutus ero.
Hic mihi placatas si ad puppim verterit auras,
In me nil Papa, nil Stygis ira valet.
CHRISTE iuva, tua cymba natat. nunc itur in hostem.
Nunc acies caput gliscere, CHRISTE iuva.
Hec fatus medios sese demittit in hostes;
Bellaq; fallaci cum ratione gemit.

Quae

Quae simul atq; fuge se dedit improba, ferrum
Fulminat horrendas sed sine cede minas.
Quippe aries vano quassat molimine muros,
Milite propugnat quos Deus ipse suo.
Aethereas flammis totum non supprimat aequor.
Quas Deus accendit, ventitat ipse faces.
Nequidquam quatitur divinum dogma LUTHERI.
Nequidquam Latij ferbuit ira Iovis.
Iste Lares repetivit ovans. Lugete Cuculli
Victrici dabit is vos spolia ampla manu.
At postquam hic latis victoria constitit alis,
Huc dia Heroum se manus agglomerat.
Quos inter nequeo te Dive tacere GEORGI,
Aeternum Brenni Marchio GEORGE decus.
Tu caput ut canum forti cervice recedat
Ferre potes, verbi non potes interitum.
Heredem tua naeta suum est constantia dignum.
Quisquis es, huic longam saepe precare diem.
Praeterea quibus Aonius fons labra rigarat,
Huc sua felici signa tulere pede:
Et sua cum magno iunxerunt arma LUTHERO,
Quae sine Romanas vix domuisset opes.
Quis non obstupuit fama, non arte PHILIPPI?
Fortè dabunt similem secula nulla virum.
Barbaries linguas rudis, & devicerat artes:
Hic valido è domitis Marte fugavit agris.
Et quod templa sonant, quod purum dogma cathedra,
Hec cum LUTHERO palma, PHILIPPE, tua est.
Sed cani quod non crines sapuere viriles,
Cum tacitus nutus verba diserta dedit,
Mutaq; vox fregit, quos vox clamosa nequivit.
Hac unâ poteris vilior esse notâ.

*Si secus inferius non stares credo. LUTHERO,
Ambos unus honos iungeret, unus amor.
At non elevat hæc nostrum inconstantia Achillem
Hoc iter exegit, quo pede cepit iter.
Ecce autem vesanus adhuc altaria terret
sacrificus. Risum hîc qui tenet, ore caret.
Barbara verba crepat; pronus gemit, inde supinus:
Cuncta novo vivunt membra ministerio.
Exclamat: mox alta silet: nunc murmura secum
Intus agit: nunc hoc, nunc latus illud adit.
Brachia deducit, retrahit: signat cruce pectus,
Mox faciem: plangit pectora: mordet humum.
Prospicit ad celos: dormitat: surgit: adorat:
Quemq; mero educit, merserat ante deum.
Hunc indignatus perdit missamq; LUTHERVS.
Hoc cornu effracto, Papa, ferire nequis.
Mox caput horribili Romanum concutit ictu:
Et gemino attritum sublevat ense latus:
In soliumq; locat Christum, quod Papa tenebat.
(Cum præsto est Dominus, quid tibi tutor agat?)
Cumq; ruinoso casura Ecclesia fulcro
Staret, Apostolicis fulciit iste libris.
Et quia septenis altaria Sacramentis
Nutabant, demtis quinq; levavit onus.
Cunctaq; mox uni fiducia reddita Christo est.
Nec cænans graviter nunc idiota sitit.
Quid cuncta imbelli nitæ disponere versu?
Immensum est Latio quidquid ademit agro.
Desinat Herculeum fama oggannire laborem,
Desinat: Haud labor est Herculis, hic labor est.
Quin & Lernæis similes pugnavit ad hostes.
Vix iugulum hæretico fregerat, alter erat.*

Vicerunt

Vicerunt numero, sed non virtute **LVTHERVM**.
Hic ubicunq; iacit spicula, victor abit.
Quod si Marte foret Calvus luctatus aperto;
Turpis Calvitium nunc operiret humus.
At Satanas, cum venatum it sua retia celat.
Sic hodie capitur, qui sibi cavet heri.
Nemo tulit vivo Calvus mutire **LVTHERO**:
Vix obdormierat, quilibet arma crepat.
O semel hos contra redi vivo detonet ore!
Hunc, ut pulsa lepus tympana, faxo tremant.
Tunc etiam falsum experiar, grex iste quod inquit,
Calvities doctis semper amica fuit.
Nam se mercatis vendit cornicula plumis:
Quam iuras aquilam vulturis ora gerit.
Calva cohors paullatim animos demitte superbos.
Qui vivus pallor, mortuus horror erit.
Iam propè finis adest. sed qui ad vadimonia currit
Exspectet nolim, ne mihi damna fleat.
At non se Hereticum saltem **LVTHERVS** in agmen
Infert: Flagitijs acrior hostis erat.
Fulmine cum lingua peccatis increpitabat,
Plangebant udis crimina luminibus.
Verum cum veniam rursus promitteret iisdem,
Credebat veniam iam sibi quisq; datam.
Tantus utring; animos urgebat spiritus, acri
Seu spe quem vellet, sive iuvare metu.
Et sive Hesperios, sive accersamus Eoos,
Profuit Eois, profuit Hesperis.
Sed vires cum iam gravis interceperat etas,
Collectas Christo sic prece mandat oves:
CHRISTE fatigatum morbi me pondere, & annis,
Solve. sat est. lasso detur amica quies.

C

Haud

Haud equidem hanc merui: tua mors tamen impetravit.
Vt fruor immeritus, tu mihi quod meritus.
Hæc est summa via, quam te mandante præivi.
Heu mihi! Transversum quod malus error aget!
Qui nunc Ambrosia saturi, qui nectare poti,
His citò fortè lacûs gratior haustus erit.
Semper quippe Erebus morsus huc vertit hiantes:
Nec pote non nostris invigilare malis.
Aut ferro aut tetro gestit iugulare veneno.
Quoquo succedat tramite, letus ovat.
Iam mucro Geticis, iam campis gliscit Iberis.
Quam vereor ne illum nostra cruentet humus!
Toxica iam multa miscentur pixide, ut istis
Membra trahant cæcum plurima mortis iter.
Sed tuus hic ager est: tu solus & unicus hæres.
Si fructum expectas, non alienus aret.
Hæc ait: ac animam placidas exhalat in auras,
O auriga tuus, currus ô Albi tuus.
Heu mihi non patria ille fuit non vanus aruspex!
Experta est certam Theutonis ora fidem.
Ausus enim infando Geticus mucrone tyrannus
Oppugnare Deum, seu pia membra Dei.
Nunc quoq; letiferas pergit iaculare sarissas:
Et nunquam nostro sanguine siccus abit.
Quin etiam nostris tumidus prædator Iberus
Exuvijs plenâ classe superbus ab It.
Et nunc intus alunt obscuram viscera pestem.
Ipsa sibi fatum ni sopiatur, erunt.
Tum nova Letæis Gehasitica factio ab undis
Nascitur. Hic falsa plurimus arte Sinon.
Iardani vigilate duces, consultat Vlysses:
Palladium fallax nunc Gehasita petit.

Iam

Iam fabricatur equus Latio monstrante tyranno.

Claudite, ne nostris vipera serpat agris.

Quae tibi si ventris vastos expandat hiatus,

Plurima terribili monstra fragore vomet,

Reges atq; duces, & avito sanguine claros,

Quicumq; hauserunt de meretrice merum.

Ipsa trahet restim meretrix, monachiq; sequentur,

Cum Stygio genuit quos Lügovolla lacu.

Hoc quoq; enim genus est Monachorum. Tolle cucullum,

Omnes unius nempe coloris erunt.

Si faciem videas, Iovæ iurabis alumnos:

Iurabis Satana, pectora si videas.

Omnia contemti rumpentes frena pudoris,

Vesano miserum pectus honore terunt.

Illis Crassus egens, Niclaus castus habetur:

Sobrius in viridi Sardanapalus humo.

Sed caue ne fallat te frontis ruga senilis.

Omnes hi norunt quàm sit amare bonum.

Quidquid agunt fidenter agunt. Quod credere posses

Artem, fallaci fraus mala picta dolo est.

Non tamen ista omnes fallent. Contendite docti,

Arte dolus struitur, noscitur arte dolus.

Oremus. Deus omnipotens cui militat aether,

Qui Solus terras & maria alta domas.

Ecce tuam circum densissima turba malorum

Stat caulam: pressum stat super unda caput:

Iam fecunda olim defraudant arva colonos:

Iam viduat miseras pestis avara domos.

Nostra super gladij vibrantur colla: nec ulla

Sanguinis immunem se fore novit humus.


At tu CHRISTE Deus nostro succurre periclo.

Tu nisi, Christe, iuvas, non iuvat ulla salus.

*Sed tua non sinat hoc bonitas, ut adesse recuses
Qui missis fugiunt sub tua signa malis.
Hoc tibi perpetuò ius est, errata fatentes
Erigis, & tumidis pectoribus metus es.
Nil adeò firmum est, quod non infringere possis,
Nil infractum adeò, quin reparare queas.
Hac tua Romanum pallere potentia Cæcum
Nescit: sed nec te perfidus iste timeret.
Iste tui rondere pecus cupit ecce peculi:
Iste tuum impurus dicit ovile suum.
Iste tibi fasces vult extorquere paternos.
Hunc tu. Sed taceo: Scis puto quid facias.*



X 2207080



B.I.G.

Farbkarte #13

CARMEN



DE

MARTINO
LUTHERO,

factum & publicè recitatum

In illustri Academia VVitebergensi
Anno CHRISTI MD. DC. XVII.
xvii. Febr.



JOHANNE BLAVFELDERO
Feuchtuvangense Fr.



WITEBERGÆ,
Prælo Meifsneriano.